



# **Disputatio juridica inauguralis de pignoribus & hypothecis, & qualiter ea contrahantur, & de pactis eorum**

<https://hdl.handle.net/1874/343809>

27

DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
Pignoribus, & Hypothecis, &  
qualiter ea contrahantur, & de  
pactis eorum.

Q U A M  
FAVENTE DEO TER OPT. MAX.  
*Auctoritate Magnifici D. Rectoris,*  
M. GERARDI de VRIES,

Philosophiæ Doctoris, ejusdemque Facultatis in Illustri  
Academia Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi Senatûs Academici consensu, Nobilissimæque  
Facultatis JURIDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis  
ritè ac legitimè consequendis,

*Eruditorum examini subicit*

JOHANNES THIERRI, Amstelodamensis.  
*Ad diem 29. Augustii horâ locoque solitis.*



TRAJECTI ad RHENUM,  
Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiae  
Typographi, cło Ioc XCII.

*Amplissimis & Spectatissimis*  
*VIRIS,*

D. JOHANNI THIERRI,  
Parenti suo omni amore colendo pro-  
sequendo.

N E C N O N

D. ABRAHAMO VAN  
ESCHEWILLER,  
Mercaturæ Belgarum quæ apud Ulif-  
siponensis exercetur, præfecto, avun-  
culo suo multum honorando.

D. ABRAHAMO  
CASTELEYN,  
Verbi Divini ministro, atque ecclesiæ  
Goudanæ pastori fidelissimo, cognato  
multum venerando.

*Hanc disputationem inauguralem*

D. D. D.

JOHANNES THIERRI.  
*Auctor.*



DISPUTATIO JURIDICA

INAUGURALIS,

DE

Pignoribus & Hypothecis, & qua-  
liter ea contrahantur, & de  
pactis eorum.

CAPUT I.

§.1.



*Ignoris verbum primitivum est, inquit Bachovius tract. de pign. & Hypothecis lib. 1. cap. 1. ac ideo magis allusionem sibi videri, quam veram verbi etymologiam, qua utitur Paulus Jctus in l. 238. de verb. signific. pignus à pugno derivans, cum aliquibus videatur mobilia tantum oppignorari potuisse, quorum possessio creditori*

A 2

tra-

## 4 DISPUTATIO JURIDICA

traditur, quibus alias non satis cavebatur, si apud debitorem manerent.

§. II. In jure diversimode à Jctis fuit acceptum. Nunc enim rem oppignoratam *t. t. dig. & Cod. de dist. pign. §. 7. inst. de action. §. ult. quib. mod. re contr. oblig.* nunc contractum quo pignus constituitur *l. 1. pr. & §. 1. ff. de pign. act.* nunc jus, quod creditori in securitatem debiti est constitutum denotat *l. 1. h. Tit. l. 3. §. 12. ad exhibend.* in qua posteriori significatione pignoris vox à Jctis vel generaliter, vel specialiter sumitur, ita ut in generaliore significatione etiam hypothecam comprehendat *l. 1. de pign. act. l. 21. eod.* in speciali hypothecæ opponatur. *l. 9. §. 2. eod.*

§. III. Pignus autem strictius sumptum in hoc præcipue ab Hypotheca differt, quod pignus sit cujus possessio detur creditori *l. 9. §. 2. de pign. act.* Hypotheca solo pacto contrahatur *d. l. 9.* latius sumptum tum in aliis, tum imprimis, quantum ad actionem hypothecariam attinet, non nisi nominis sono differt *l. 5. §. 1. h. t. §. 7. inst. de action.*

§. IV. Pignus itaque in specie definitum, est res à debitore creditori in securitatem debiti tradita ea lege, ut soluto debito eadem res in specie restituatur. *Bacch. lib. 1. de Pign. & Hypoth. cap. 2.* Hypotheca in genere est conventio arbitraria, qua creditori absque traditione jus in re constituitur *l. 4. ff. de Pign. & Hypoth.*

§. V. Naturam autem pignoris latius accepti partitione detegere oportet, & primo ponemus pignus, quod

quod sit vel publicum vel privatum. Publicum est, quod publica, privatum est, quod privata auctoritate constituitur. *Huber. part. 3. Prælect. ad Tit. ff. de pign. & Hypoth. §. 2.*

§. VI. Publicum pignus constituitur vel à lege, vel à magistratu, quod à lege habet originem vocatur hypotheca legalis *t. t. in quib. causis pign. tac. contra.* quod magistratum habet auctorem, est vel prætorium vel iudiciale. Prætorium est, quod fit per missionem in possessionem bonorum, ventris, legatorum, damni infecti *l. 4. §. 1. d. damn. infect. t. t. ut leg. vel fideicom. nomine.* Iudiciale, quod in executione rei iudicatæ ex bonis contumacium capitur. *l. 15. de re iudicata.* quod cum æque sit à prætore constitutum, quam prior species, tamen ut ab ea discernatur, ab usu speciali potius, quam à communi prætoris auctoritate nomen habet, ut à iudicio iudiciale vocetur. *Hub. prælect. ad ff. de Pign. & Hypoth. §. 2. in fine.* Excercet & aliud specimen prætor in cogendis illis, qui onus sibi delatum subterfugiendo evitare solent, cuius exemplum nobis clare præbet Imp. in. §. *pen. de satid. tut.* quod tamen pignus ad propositam speciem non pertinet, quia non tam ad debiti securitatem, quam ad contumaciam puniendam spectat.

§. VII. Pignus privatum constituitur aliquando conventionione inter vivos, id est contractu. *l. 1. de pign. act. & §. ult. inst. quib. mod. re cont.* vel pacto nudo *l. 17. §. 2. de Pact. l. 4. h. t.* vel aliquando ultima voluntate, id est testamento vel codicillo,

## 6 DISPUTATIO JURIDICA

*l. 26. de pign. act. § Cod. commun. de leg.*

§. VIII. Effectus pignoris privati consistit in jure persecutionis, in jure retentionis, in jure praelationis, & jure distractus. Jus persecutionis dat, ut creditor possit jus suum persequi remedio possessorio, interdicto salviano, & interdicto ne vis fiat ei, qui in possessionem missus erit, vel remedio petitorio, per actionem hypothecariam. Jus retentionis, ut creditor propter aliud debitum, quam pro quo pignus accepit, pignus possit retinere, *l. unic. Cod. etiam ob Chirogr.* Jus distractionis, ut creditor, debitore non solvente, pignus possit distrahere. *l. 4. § l. II. Pand. § l. 4. § 6. Cod. de distr. pign. modo distractio fiat bona fide & sollemniter, atque hoc ita, etsi convenerit, ne liceat pignus vendere, modo tunc trina fiat denunciatio l. 4. ff. de pign. act. jus praelationis, quod alter alteri creditori preferatur, l. 4. ff. qui potiores in pign.*

## CAPUT II.

§. I. **A**ltera pignoris divisio est quod vel generale vel speciale sit Generale, quo generaliter bona, tam immobilia quam mobilia, tam futura quam presentia obligantur, *l. 1. § 6. ff. de Pignor. § Hypoth.* Excipiuntur tamen à nexu generalis hypothecæ ea, quæ non est verisimile quemquam obligaturum fuisse, ut sunt ea, quibus quotidianæ vitæ usus continetur, quæve singulari affectu complecti

plectimur, ut supellectilem, concubinam, filios naturales. *l. 6, 7. § 8. ff. h. t.* etiam bona heredis, quæ ex bonis defuncti non fuerunt, sed postea ab herede ex quacunque causa acquisita sunt *l. 29. ff. h. t.* Bona etiam, quæ consentiente creditore alienata, postea in debitoris dominium redierunt. *l. ult. Cod. de remissione pign.* modo creditor vere consenserit in alienationem. *Ead. l. ult.* Excipiuntur etiam illa bona, quæ per testatorem alienari sunt prohibita, ut sunt fideicommissa, & legata *l. ult. §. 2. Cod. Comm. de leg. speciale*, cum de re certa specialiter obliganda convenit *l. 1. §. 1. § 2. ff. de pign. § Hypoth.*

§. II. Effectus generalis pignoris est, quod jus creditori in rebus debitoris constituat, ita ut debitor rem non nisi salvo jure pignoris & cum suo onere alienare possit *l. un. Cod. rem. alien. l. 4. Cod. de Eviçt. l. 2. dig. qui pot. in pign.* Prima exceptio est in taberna cujus merces libere & sine onere pignoris alienari possunt *l. 34 ff. h. Tit.* ita tamen ut merces venditarum loco comparatæ & in tabernam relatæ iterum pignori obligentur *d. l. 34.*, altera est in servis quorum manumissio per generalem hypothecam non impeditur, nisi præcludantur vel specialiter obligentur *l. pen. in quib. caus. pig. junctâ l. 3. Cod. de servis pign. dat. man.*

§. III. Effectus specialis hypothecæ est, quod debitor nec res alienare sine vitio furti *l. 66. de furt. l. 3. §. 1. ff. Stellion.* nec servos pignori obnoxios manumittere possit *l. 1, 2, 3. Cod. de serv. pign. dat. manum.*

§. IV.



## 8 DISPUTATIO JURIDICA

§. IV. Si nomen, id est jus exigendi debiti generaliter, vel specialiter sit constitutum, quod posse fieri nobis ostendit *l. 4. Cod. quæ res pign. datur creditori utilis actio in personam. l. 13. §. 2. ff. b. t.* ut illis, quibus nomen donatum, legatum, in solutum datum est, *l. ult. 6. quando fisc. vel private* alius communis effectus est generalis & specialis hypothecæ ut res non minus pro usuris in stipulatum deductis, quam pro forte obligetur *l. 11. §. 3. ff. de pign. act.*

§. V. Pignus vel à magistratu vel à lege, vel ex conventionem inter præsentem verbis, inter absentes epistola, licet nec subscripta, nec signata *l. 4. l. pen. §. 1. b. T.* generaliter, specialiter, contractu vel pacto constitui potest, ex quo pacto à prætore firmato, contra communes regulas ad constituendum jus in re, traditionem requirentes, nascitur jus in re, ex illo jure in re actio hypothecaria, qui sensus est *leg. 17. §. 2. de Pactis.* pignus autem quocumque modo constitutum semper requirit obligationem cui firmandæ accedat, sive illa civilis sit sive naturalis, sive præsens sive futura, *l. 5. b. T.* modo in jure civili effectu suo non privetur, per *l. 13. quib. mod. pign. solv. l. 60. de Cond. indebiti.* uno tamen & altero casu pignus sine obligatione principali consistere potest. in *l. 1, 2, 3. Cod. de luit. pign. l. 16. Cod. de distr. pign.* in quibus casus proponuntur ubi hæc regula fallit.

CAPUT III.

§. I. Præcedentibus duobus capitibus pignus cum  
 suis divisionibus ; & effectibus explicavi-  
 mus, videamus nunc quinam possint pignus consti-  
 tuere, & quænam pacta adjici possint. Pignus au-  
 tem constituere possunt, qui habent directum vel  
 utile dominium *l. 9. l. 13. §. 3. b. r. l. 16. ult. de pign.*  
*act.* Item socius partem suam jure communi *l. unic.*  
*Cod. si res comm. pign.* item procurator rem man-  
 dantis *l. 1. Cod. si res alien.* ex quibus præmissis  
 facile colligi potest non tantum res proprias pigno-  
 ri obligari posse, sed etiam alienas, quatenus in bo-  
 nis ejus sunt, ut agri fructuarii, & emphyteutici *d.*  
*l. 16. §. ult. de pign.* ea tamen sub restrictione, ut usu-  
 fructu, & emphyteusi finitis, hypothecam pariter  
 finire constat *l. 31. ff. hoc tit.*

§. II. Pacta commode dividi possunt, quod alia  
 sunt licita, alia illicita quorum species hic prius enu-  
 merabimus mox eas explicaturus. Pactorum licito-  
 rum species sunt Pactum Antichreseos pactum de  
 non alienando pignore, & pactum, ut interitus rei  
 liberet debitorem. Non licitorum præcipuum est  
 pactum commissorium.

§. III. Pactum Antichreseos, est, quo convenit  
 ut creditor pignore in vicem usurarum utatur, se-  
 cundum naturam cujusque rei, unde si prædium,  
 (nam & res immobiles aliquando traduntur) pignori  
 obligatum sit, creditor hoc ipsum potest colere, lo-  
 care

care, & fructus inde percipere *l. 11. §. 1. h. t. l. 33. ff. de pign. act.*

§. IV. Est autem pactum vel tacitum vel expressum, Expressum, quod expressa conventionione, tacitum, quod tacita contrahitur, quod fit quando nihil de fructibus percipiendis dictum est, & debitor gratuita pecunia utitur tunc enim tacita inter partes convenisse videtur, ut creditori re oppignorata invicem usurarum uti frui liceat *l. 8. in quib. causis tac. pign. contr.* in tacito fructus sunt redigendi ad legitimum usurarum modum *d. l. 8. in Expresso* quæri solet an fructus sint certi an incerti, si fructus sint certi, quatenus sunt supra modum legitimarum usurarum, forti imputantur arg. *l. 17. Cod. de usuris* nisi excessus sit modicus *l. 14. eod.* si incerti, unius anni ubertas cum alterius anni sterilitate compensanda est, nisi excessus sit nimius, & contractum faciat usurarium, in fraudem *l. 26. Cod. de usuris.*

§. V. Pactum de non alienando pignore, quod vel pignori in specie dicto, vel Hypothecæ adjicitur, & respicit tam debitorem, quam creditorem, debitorem, cum res immobilis est obligata, nam si debitor rem immobilem obligatam vendiderit, creditor tenetur ad interesse *l. 3. Cod. de condict. ob. caus. dat.* Creditorem vero respicit, si adjiciatur pignori traditione perfecto, nam tunc efficit, ne liceat creditori pignus vendere, quam post trinam denunciationem, si secus faciat, incidit in crimen furti *l. 4. de pign. act.* cum regulariter unica denuntiatio sufficiat.

§. VI.

§. VI. Pacti ut interitus pignoris debitorem liberet, effectus est, quod cum regulariter in bonæ fidei judiciis casus fortuitus non præstetur, & ideo creditor pignora, quæ hujusmodi casu interierint præstare non compellatur, nec à petitione debiti submoveatur, si inter contrahentes hoc convenerit, tunc amissio pignoris liberat debitorem *l. 6. Cod. de pign. act.*

§. VII. Pactum Commissorium, quod prohibetur in *l. ult. Cod. d. pact. pignorum.* est si debitor intra certum tempus debitum non solvat, creditor pignus lucrifaciat, quod merito in *d. l. ult. Imp.* Constantinus prohibuit, ut restringatur aspera illa creditorum avaritia, debitores miseros in angustiis rerum suarum positos, & aliquando plus, quam in iis est, sperantes, quasi edere volentium, & ut homines hoc contractu laborantes hac sanctione possint respirare. Plura illicitorum pactorum possent allegari, nisi temporis penuriam cogerer huic disputatiuncula finem imponere.



# COROLLARIA.

I.  
*Qui credidit ad refectiorem navis non habet  
legalem Hypothecam.*

II.  
*Nuda pacta non pariunt actionem, sed exceptio-  
nem.*

III.  
*De delictis capitalibus mortem naturalem infe-  
rentibus transigere licet.*

IV.

*Pactum est genus transactionis.*

